

Pars. X. **Ca. 11.**
 tunc inuentio maioris ferri siue ferree ymaginis magis fortunata esset. quod ipsi negant. Si autem ex parte forme tunc non refert utrum ferrea vel lignea aut ex alia materia sit acus. Et hoc ipsi iterum negant. Si vero ex ambobus simul; tunc non refert nisi ut omnes vie sternentur acubus: ut quocumque iuerimus acus inueniamus: & ita nobis in omnibus et per omnia eueniat. Quod si dixerit: quia non est fortunata inuentio acus nisi ab alio perditam fuerit & casu inuenta: tunc ex fortunio & perditione alterius pendet haec fortuna. Et ita alterum contrariorum pendet ex altero: de obulo vero et nummo facilis est destructio: si enim aperte materie sue causa est bone fortunatio: quanto fortius nummus integer: cum in eo plus sit de materia eade. Si vero ex parte forme. similiter cum eadem forma & maior sit in ipso nummo. Eodem modo si ex parte amborum. Ambo enim & maiora et fortiora sunt in nummo integro quam in obulo. Quod si dixerit: quia non est hoc ex obulo sed ex inuentione nostra est ista virtus obulo: non refert igitur an obulus sit an nummus illud inuentum a nobis: habebit ex necessitate virtutem istam & nullum erit infortunatum. Preterea qualiter inuentio nostra hanc virtutem prestabit obulo & non nummo: cum & quantum ad formam nummus receptibilior est & sit cuiuscumque impressiois quam obulus. Quod si dixerit: quia ratione minoritatis est hoc melius esset millesimam partem unius nummi & in inuitum & modicum ferri quam mille milia auri et argenti. Amplius que erit causa prohibens aurum a receptione huiusmodi virtutis.

De veris factis et sacrificijs. Decima pars Ca. 1. A.

Postquam igitur expediimus nos auxilio dei de ydolatria et partibus eius: & aperuimus tibi aliquatenus vias destructionis ipsius: conueniens est ^{sequentes} ~~communiter~~ ut accedamus ad ritus & sacrificia atque sacra & declaremus veritatem eorum. Parefaciemusque: que ipsorum placeant deo altissimo: et que sint veri nominis facta et sacrificia: & que nominibus istis omnino indigna sint. Dicemus igitur in primis: quia ritus proprie mos est initiationis siue sanctificationis secundum opinionem uniuscuiusque legis: et maxime ac frequentissime dicitur sacramentorum. Ut ritus circumcisionis: ritus baptismi. Interdum autem extenditur nominatio haec ad totam obseruantiam uniuscuiusque legis. Unde dicitur ritus Iudaicus: tota obseruatio iudaice legis: & ritus Christianus: et ritus sarracenicus. Eodem modo & de sacramentis quidem iam expediimus nos prout tractatus iste